liſſet atque Pipini & Carolomanni Conſtitutiones plane omiſiſſet, BENEDICTVS LEVITA Moguntinenſis circa annum 845. Capitularia in vnum collegit atque Anſegiſi Collectioni Tres Libros addidit. (*) Exiſtimant quidem Baronius atque alii, hanc collectionem, iuſſu Concilii Meldenſis factam fuiſſe, quod tamen falſum eſſe probat Conringius de Orig. Iuris Germanici cap. XV. Iuſſu autem Otgarii Archiepiſcopi Moguntini hanc Collectionem ſuſceptam, ſequentes ipſius Benedicti verſus comprobant:

Autcario demum, quem tunc Mogontia ſummum
Pontificem tenuit, præcipiente pio,
Poſt Benedictus ego ternos Leuita libellos
Adnexi, legis quis recitatur opus.

Confuſam tamen hanc Benedicti collectionem atque e variis centonibus conſarcinatam dudum docti adgnouerunt. Quippe, non ſolum alia quædam præter Capitularia continet, vt Zachariæ Papæ epiſtolam, excerpta ex canonibus conciliorum, conſtitutionibus ſynodalibus epiſcoporum, Codice Theodoſiano, legibus antiquorum & ſimilis generis, ſed etiam omnia Ludovici Pii capitularia non comprehendit, quæ poſtea ſub titulo additionum prodierunt. Recepta nihilominus vſu publico hæc collectio non ſolum in Regnis Germaniæ, ſed etiam in Francia ante annum 858. Variant autem ac in ordine

(*) *Hiſtoria Iuris* Cap. VI. §. XII. p. 440.